



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



# DISQUISITIO PHILO- SOPHICA *ad.*

DIVERSAS QUASDAM JURIS NATURÆ QUÆ-  
STIONES INTER PUFENDORFUM ET HOBBE-  
SIUM AGITATAS EXAMINANS

QUAM

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO  
AUTHORITATE ET DECRETO

*SAPIENTISSIMI PHILOSOPHORUM*  
*ORDINIS*

SUB PRÆSIDIO

*VIRI CONSULTISSIMI ET DOCTISSIMI*  
**FRANCISCI PASSAVANT**  
PHIL. DOCT. & J. U. L.

IN ACADEMIA PATRIA

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS  
RITE CAPESSENDIS

AD DIEM 2. Junii, M D C C X L.

H. L. Q. S.

Publice defendere conabuntur

**EUCHARIUS HOLZACH ,**  
**DANIEL PASSAVANT ,**  
**MAGIST. CAND. BASILEENSES.**

---

Typis, Joh. Henrici Deckeri, Academiæ Typogr.

*VIRIS GRAVISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSI-  
MIS, PRUDENTISSIMIS, INTE-  
GERRIMIS*

**DN. ABEL MIT'ZIO,** REIPUBL. SENATORI PRUDEN-  
TISSIMO, SCHOLARCHE GRAVISSIMO, AVUNCULO  
SUO SUMME VENERANDO.

**DN. CLAUDIO PASSAVANT,** MED. DOCT. CE-  
LEBERRIMO, REIPUBL. SENATORI PRUDENTISSIMO,  
ARCHIATRO MERITISSIMO, PATRUO SUO ET E SA-  
CRO FONTE SUSCEPTORI IN ÆTERNUM COLENDO.

**DN. JOH. RUDOLPHO A WALDKIRCH ,**  
J. U. D. INSTIT. IMPER. ET JUR. PUBL. PROF. CELE-  
BERRIMO, AVUNCULO SUO OMNI HONORIS ATQUE  
AMORIS CULTU PROSEQUENDO.

**DN. DANIELI FALCKNERO,** DUCENTUM VI-  
RO, FORI JUDICIALIS UT ET DIRECTORII MER-  
CANTILIS ASSESSORI DIGNISSIMO, E SACRO FONTE  
SUSCEPTORI AD ARAS USQUE COLENDO.

Haric Dissertationem eâ , quâ par est , Ob-  
servantia & Submissione in devotissimi  
animi Testimonium.

d. d.

DANIEL PASSAVANT.

## §. I.



Uando Hobbesius de Cive *Cap. 12. §. 1.* ad Causas internas Civitates juste coalitas dissolventes, præcipue eam opinionem ut seditionem refert, quā Cognitionem de bono & malo ad singulos, Civitatem nimis constituentes, pertinere asseritur, & imprimis hoc fundamento utitur, Regulas boni & mali, justi & injusti, honesti & inhonesti esse Leges Civiles, idcoque quod Legislator præceperit, id pro bono, quod vetuerit, id pro malo habendum esse, quæritur, quanam ratione & argumento nütatur hæc Sententia, & an simpliciter Hobbesius probare & statuere voluerit, ante Imperia justum & injustum non extitisse; Nos equidem hancce Sententiam nec in totum approbamus, nec cum clarissimo Pufendorfio de *I. N. & G. Lib. 8. Cap. 1. §. 5.* penitus rejicimus; Notat quidem Pufendorfius Hobbesium, eum, ante Imperia civilia justum & injustum per Jus naturale definitum & Conscientias hominum stringens, non extitisse, statuere, quam Sententiam æque falsam esse contendit, ac si assérere vellet, Veritatem & Rectitudinem ab arbitrio hominum & non a Natura Rerum dependere, aut Rerum Naturam pro Lubitu posse a summis Imperantibus fingi, penitus autem examinata utriusque Sententia, neutram alteri contrariam esse, demonstrare facillimum erit, distinguendo nimis inter Statum naturalem & Statum civilem, in Statu quippe naturali, Cognitionem boni & mali ad singulos pertinere, adeoque bonum & malum, injustum & justum jam determinatum esse ipsemet asserit Hobbesius *Loc. cit. C. 1. §. 9.* adeo ut eum a Pufendorfio dissentire non videamus; Num autem in Statu civili Cognitio boni & mali, justi & injusti singulis, qua singulis, relinquenda sit, de eo valde dubitamus, imo Hobbesii Sententiam in totum amplectimur, seditionem nimis esse hancce opinionem, qua boni & mali Cognitionem ad singulos pertinere asseritur, quin etiam recepta hacce Regula nullam Civitatem diu integrum conservari posse statua-

mus, cum cujuslibet proprio Judicio inter tot Civitatem constituentes vario, quid bonum, quid malum, justum vel injustum sit, relinquere maxime periculosum sit, quod prudenter Dionis. Halicarn. A. Rom. Lib. I. C. 4 demonstrat, oportere eum, qui mente sit præeditus, peritusque Reipublica administranda, eas Leges ferre, que justam & temperantem privatorum Vitam efficiant, sed quibus Legibus id fieret, non etiam aequo omnes intelligere; qua ratione permoti primi populorum nullis Legibus viventes, Arbitria Principum pro Legibus cognoscabant, ut refert Justinus Lib. I. C. I. quare, cum ob diversas, ut ait Hobbesius Cap. 6. §. 9. Opiniones de meo & tuo, justo & injusto &c. Reipublicæ summe necessarium & utile sit, communes omnibus exhibere Regulas & Mensuras, quibus unusquisque, quid justum, honestum &c. sit, scire possit, per se stat Hobbesii Sententia, & male à Pufendorfio notatur, qua Cognitionem boni & mali ad singulos pertinere, seditionam Opinionem esse, & ante Imperia & Legislatorum Determinationem justum & injustum non extitisse afferit; maxime tamen hic notandus Hobbesius, & longe a Sententia ejus recedimus, quâ Loc. cit. Justi & Injusti Naturam ad Mandatum esse relativam, omnem actionem adiaphoram esse, Reges, quæ imperant iusta, imperando, quæ vetant injusta, vetando facere, contendit.

§. 2. Ardua inde oritur Quæstio, num erronea sit & seditionis eorum Sententia, qui docent peccare Subditos, quoties mandata Principum suorum, quæ sibi injusta videntur, exequuntur, quam subtiliter equidem examinat Hobbesius Cap. 12. §. 2. & tales, quibus injuste quid imperatum est, in peccandi Necessitatem incidere docet, nam facient, inquit, contra Conscientiam, si obediverint, contra Jus, si non obediverint; Si fecerint contra Conscientiam, monstrant se non metuere penas futuri Seculi, si fecerint contra Jus, tolunt humanam Societatem, & Vitam civilem; Nos hic distinguendum esse censemus, num Princeps jubeat exequi ea, quæ vel Juri divino, vel naturali, vel Legibus civilibus contraria sunt, priori Casu, cum Mandatum Principis pugnet cum Lege divina vel naturali, salvâ Conscientiâ Subditum hoc in Casu Obscurum Principi denegare posse credimus, nec percipimus, quomodo in tali Casu, si Subditus non obediverit, ex Mente Hobbesii contra Jus faciat

erat, potius hic Sententiam amplectimur Pufendorfii *de I. N. & G. L. 8. C. I. §. 6.* qui boni Viri esse statuit, Jussa Imperantium capessere, modo cum Jure naturali & divino manifesto non pugnent; Falsa itaque hic Opinio Hobbesii, qui Regulam hancce, peccare Subditos, quoties mandata Principum, quæ injusta sunt, exequuntur, inter erroneas numerat, neutquam etenim illum peccare censemus, qui imposita peccandi necessitate, eam eligit partem, ex qua minus peccat. In Casu posteriori cum Princeps existantummodo Subditis injungit, quæ Legibus civilibus & ab ipso latis contraria sunt, citra Peccatum pareri posse, cum clarissimo Pufendorfio *Loc. cit.* credimus, Principi quippe, ut Legibus soluto, ad ejus mandatum contra Leges civiles ministerium subinde præbere citra Peccatum Subditi possunt, imprimis, cum hoc in Casu, ut recte statuit Grotius *de I. B. & P. L. 2. Cap. 4. §. 4.* Princeps imperans inferiori, quod facere non potest, nisi lege solvatur, Lege eum soluisse intelligatur, in bene autem constituta Civitate, Subditum, si velit Principi contra Leges civiles mandanti, Obsequium denegare posse, neutquam dubitamus.

§. 3. Falsissimum, quod Hobbesius *Cap. 14. §. 9.* statuit, a Legibus civilibus oriri, quod unusquisque Jus suum sibi proprium & ab alieno distinctum habeat, adeoque sequi Præcepta hæc, *Honorem Parentibus, Legibus definitum, non denegabis, Hominiem, quem vetant Leges occidere, non occides, Legibus vetitum Concubitum fugies, Rem alienam Domino invito non auferes, Leges & Judicia falso Testimonio non frustraberis,* esse Leges civiles, quam Sententiam falsissimis itidem argumentis & rationibus superstruit, statuendo in Statu naturali, nihil alienum esse, proinde alienum invadere impossibile. Ubi omnia communia sunt, omnes Concubitus esse licitos. Ubi Status Belli, ibi licitum occidere. Ubi nulla Judicia, ibi nulla testimonii dicendi Occasio &c. quæ, quam absurdâ sint, nemō sanæ mentis non videt, quibus etenim rationibus probari poterit? in Statu naturali nihil alienum esse, neminem quid proprii habere posse, & Dominia rerum introducta contra Statum esse naturalem, eumque tollere, & *Pacta, quibus rerum Dominia dividuntur, hominum esse tantummodo in vita civili viventium;* proinde, quænam Sententia magis cum Ratione pugnat? Jure Naturæ

turæ omnia communia esse, adeoque omnes Concubitus esse licitos, quam Regulam non nisi a barbarissimis Gentibus receptam fuisse credimus, quarum Exemplum Dion. Halicarn. *Ant. Rom. L. 2. c. 4.* affert, quæ nimirum Exemplum a Brutis sumentes, solutos & communes concubitus maris cum fœmina fecerunt, quod hoc modo humanam Vitam ab amatoriis furoribus a se liberatione iuri putarent, quodque Zelotypiam mutuarum cædium Causam esse judicarent, denique quod Homines a multis aliis malis, quæ & privatas dominus, & integras Civitates propter mulieres solent invadere, a se liberari posse existimarent. Stolidis & futilissimis rationibus, quis etenim non videt, cessante hoc in Casu rectæ Rationis Dictamine, utpote solo Juris naturæ fundamento, maximam in Societate Hominum per belluinos istos Concubitus, ut Dion. Halicarn. eos *Loc. cit.* vocat, præcipue ob Prolis Incertitudinem, oriri Confusione, & innumerarum quasi mutuarum Cædium ansam præberi, falsissima porro illa est Consequentia, ubi Status Belli, ibi licitum occidere, periculosisssimum quippe esset Regulam hancc in Statu naturali, qui tamen potius Pacis quam Belli Status nominari potest, sine distinctione adhibere; Ultimum, quo utitur Hobbesius, argumentum, in Statu naturali nullam in Judicio Testimonii dicens Occasionem esse, ipsem Cap. 3. §. 23. refutavit; Longe itaque præferenda hic Pufendorfii contraria Sententia, quâ Lib. 8. Cap. 1. §. 4. præcepta hæcce eos invicem stringere, qui non in communi Civitate, sed in Statu naturali vivunt, soloque Jure Naturæ invicem utuntur, afferit; Ex quibus facile cernere licet, præcepta hæcce Leges esse mere naturales, & male ab Hobbesio civiles appellari.

§. 4. Male porro Hobbesius *Loc. cit.* §. 10. infert, Virtute Legis naturalis, quæ prohibet violari pacta, Legem naturalem omnes Leges civiles jubere observare, verum quidem est, Pacta violare nefas esse, ultra tenorem pacti autem quempiam obligari falsissimum, prout hoc in Casu quo minime præsumendum, vi pacti inter Subditos & Principem, Civitatem constituendi gratia Conventi, Subditos sine distinctione & generaliter in omnes Leges a Principe ferendas sive justas, sive injustas, & Legi naturali contrarias consensisse, cum hic, ut recte observat Pufendorfius

*de I. N. & G. L. 8. Cap. 1. §. 2.* præsupponi debeat, Homines in Civitatem coituros, jam tum Juris Naturalis fuisse intelligentes, & inter fines Civitatum constituendarum hunc præcipuum esse, ut Leges naturales secure possint exerceri; falsa itaque Hobbesii Hypothesis, Cives obligari ad obediendum, antequam sciant, quid imperabitur, ex qua alteram æque absurdam deducit, Legem civilem nullam (quæ non sit lata in Contumeliam Dei) contra Legem naturalem esse posse. Lex quippe naturalis, cum sit immutabilis, nulla Lege civili tolli poterit, nec sequitur Leges civiles utut injustas Legi naturali repugnari non posse, & absurdissimum esset statuere, sua natura injustum & dishonestum, ulla Lege civili justum & honestum fieri posse, adeoque boni aut mali Naturam ab arbitrio dependere Principis, & quamvis concedamus Furtum, Adulterium &c. Lege naturæ prohibitum, si Lex civilis aliquid invadere jubeat, non esse Furtum &c. neutquam tamen sequitur, cum quis Legis indultu rem alterius invadit, hoc in se & sua Natura Furtum non esse. Merito itaque etiam hic a Pufendorfio *loc. cit.* ¶ 2. & 3. notatur Hobbesius; ferri quidem possunt Leges civiles contrarie Legibus naturalibus, num autem eo ipso, quod Principi placeant Juri Naturæ convenient, facile decidi potest, nec Leges civiles, naturalibus adversas, diu Civitatem conservare posse credimus.

§. 5. Optimo Jure Pufendorfius de *I. N. & G. Lib. I. C. 6. ¶. 10.* censurâ notat Hobbesium, qui *cap. 15. ¶. 5.* in Regno naturali regnandi & puniendi eos, qui Leges suas violant, Jus Deo esse a sola Potentia irresistibili, statuit, & quam absurdâ sit illa Sententia erudite Pufendorfius ostendit, quæ eo absurdior est, quo iniquius esset, Imperium illi velle in nos denegare; qui tamen nos creavit, cui unicè Vitam & Conservationem nostram debemus, adeoque statuere, Officium nostrum Deum omnipotentem venerandi, eum colendi, ipsique parendi, in eo tantum terminari, quod Ipsi resistere non valeamus, & præter Potentiam nullum Jus Deo in nos, nostraque Peccata puniendi competere.

§. 6. Quæritur autem hac Occasione, num Dogma illud  
Digitized by Google Hob-

Hobbesianum, Potentiam irresistibilem Jus quoddam in Subditos, aut eos, qui resistere non possunt dare , etiam Principibus & Summis Imperantibus applicari possit, & num Summi Imperantis Poteſtas, quam Civium Consensu exercet, solo hocce Principio fundetur, quod ipſi resiſti non poſſit; Nec Principibus & Summis Imperantibus hanc Regulam ſemper applicari poſſe credimus, aut etenim Civitatem conſtituentes ex Pacto, Principem eligentes Regimini ſeſe ejus ſubjecerunt, & ipſi obsequium promiferunt, & tunc Jus immorigeros & peccantes coercendi & puniendi, non in ſola Principis Potentia, ſed potius in Pacto cum Civibus inito fundatur, aut ſine Pacto Princeps vel vi & armis, vel ſpontanea metu hostis ſeverioris ſubjectione, Imperium in alios nactus eſt, & hoc in Casu Jus Principi in Subditos ex ſola Potentia irrefiſtibili competere ſtatuimus, adeo, ut ceſſante aut iñfraēta Principis Potentia, vel ſublatō Potentioris metu, Subditis Jugum excutere, Principi refragari & ſeſe in Libertatem vindicare, licitum ſit, nec illos peccare, aut Jus naturae violare cenſamus, imprimis ſi fuerint Populi antea Liberi, & Libertatis ſueti, nam ut olim Brutus ad Populum Romanum, referente Dion. Halicarn. L. 4. ¶. 10. omnibus mortalibus Libertatis Defiderium eſt innatum, & iis, qui inviti & coacti miseras perferunt, quaeviſ vel levifimma Occasio ad res novandas idonea videtur. Hoc itaque in Casu ſola Potentia irrefiſtibilis, quamdiu inconcuffa manet, Jus Principi in subditos concedit, quā ſublatā & iſpum Jus ceſſat, quanquam hic neutiquam rejiciamus Grotii de J. R. & P. l. 2. c. 4. ¶. 14. Sententiam, non ſemper licere subditis in Libertatem ſeſe vindicare, & vi partum Imperium, vi diſſolvere, quod Voluntate tacita, vel ab initio, vel ex poſtfacto jufarmum accepit.

T A N T U M.



Digitized by Google

Hobbesianum, Potentiam irresistibilem Jus quoddam in Subditos, aut eos, qui resistere non possunt dare, etiam Principibus & Summis Imperantibus applicari possit, & num Summi Imperantis Potestas, quam Civium Consensu exercet, solo hocce Principio fundetur, quod ipsis resisti non possit; Nec Principibus & Summis Imperantibus hanc Regulam semper applicari posse credimus, aut etenim Civitatem constituentes ex Pacto, Principem eligentes Regimini sese ejus subjecerunt, & ipsis obsequium promiserunt, & tunc Jus immorigeros & peccantes coercendi & puniendi, non in sola Principis Potentia, sed potius in Pacto cum Civibus inito fundatur, aut sine Pacto Princeps vel vi & armis, vel spontanea metu hostis severioris subjectione, Imperium in alios nactus est, & hoc in Casu Jus Principi in Subditos ex sola Potentia irresistible competere statuimus, adeo, ut cessante aut infracta Principis Potentia, vel sublatu Potentioris metu, Subditis Jugum excutere, Princi refragari & sese in Libertatem vindicare, licitum sit, nec illos peccare, aut Jus naturae violare censemus, imprimis si fuerint Populi antea Liberi, & Libertatis sueti, nam ut olim Brutus ad Populum Romanum, referente Dion. Halicarn. L. 4. p. 10. omnibus mortalibus Libertatis Desiderium est innatum, & iis, qui inviti & coacti miserias perferunt, quævis vel levissima Occasio ad res novandas idonea videtur. Hoc itaque in Casu sola Potentia irresistible, quamdiu inconcessa manet, Jus Principi in subditos concedit, quâ sublatâ & ipsum Jus cessat, quanquam hic neutiquam rejiciamus Grotii de J. R. & P. I. 2. c. 4. p. 14. Sententiam, non semper licere subditis in Libertatem sese vindicare, & vi partum Imperium, vi dissolvere, quod Voluntate tacita, vel ab initio, vel ex postfacto jus firmum accepit.

T A N T U M.

